



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Ethica Symbolica E Fabularum Umbris In Veritatis Lucem
Varia Ervditione Noviter evoluta**

Pexenfelder, Michael

Monachii, 1675

Ethicè.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68709](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68709)

cùm ille lætatur, hæc tristatur. Et, ut in re musica persistam, cùm ille vult fides contendere, hæc remitti postulat: ille submissius tangi, hæc concitatus pulsari: ille carptim peccati, hæc pleno strepitu verberari; ille cantum suspendit, hæc tinnire nunquam desinit. Quare ut in citharis, lyris, organis non satis est, ut chordæ, fistulæve gratum reddant sonum, sed opus insuper est, ut contemperato inter se modulatu respondeant; sic in societate conjugali non sufficit vel maritum sibi, vel uxorem sibi esse bonam, sed ad dulcem concentum efficiendum requiritur consensus & concordia affectuum, velut fidium. Præclare S. Ambrosius lib. 3. epist. 25. ad Eccles. Vercell. *Mulier, inquit, viro deferat, non seruiat: regendam se præbeat, non coërcendam; Indigna est conjugio, que digna est iurgio. Vir quoque uxorem tanquam gubernator dirigat, tanquam consortem vite honoret.* Sed quid hoc, quid Cadmus & Harmonia juxta votum suum in serpentes versi, sese mutuò lambendo in Elysios campos beneficio Jovis irreperint? Ovid. lib. 4. Metam. Mythologus lib. 9. cap. 14. Nimirum, qui in vita conjunctissimi vixerant, etiam morituri, & in terram ituri, quod per serpentes humi repentes denotatur, noluerunt divelli, meriti que sunt ob raram concordiam Beatorum sedibus admitti. Vide symb. 97. de caduceo Mercurij.

SYMBOLUM XVIII.

Actæon in cervum migrat.

3. Metam.

Ethicè.

1. Venationis damna. 2. Parasiti & assentatores. 3. Ingratus animus. 4. Concitatores factionum. 5. Cura pudicitia.

Fuit Actæon filius Aristæi herois, & Autoonæ, Cadmi filia. Hic cùm venationis studio supra modum deditus esset, & imprimis circa loca Garaphiæ vallis, & Megaris, Platais que urbibus vicina, numerosa canum sequelâ infectaretur, accidit fortè, ut sole æstuans, sudore madens, venatione lassus vicinum fontem peteret, ibique Dianam, perpetuæ virginitatis custodem, cum Nymphis lavantem conspiceret.

Sensit

Sensit Dea, se viro visam, quod haud temerè ulli mortalium contigerat Nymphis pudore diffugientibus, ingenti excanduit ira; moxque reperto vindictæ consiliò Actæonem mutavit in cervum; primi omnium in dominum suum strinxerunt arma canes, quos tam studiosè aluerat, & miserum dentibus dilaniarunt, nequicquam exclamantem:
Actæon ego sum, dominum cognoscite vestrum.

Ethica.

Hæc una est è notissimis & decantatissimis fabulis, & doctrinarum ad mores formandos prægnans.

I. (a) Prima detorquetur in Venatores, veros Actæonis filios. Et si enim oblectationis hoc genus minimè absurdum, minimèque illiberale est, modum tamen adhibendum, ut in omnibus, suadet antiquitas, ne in canes, servos, instrumenta venatoria (quod est aureo piscati homo) patrius census damnosa prodigalitate profundatur; cum apud mediocres homines nunquam tantum emolumentum adferat venatio, quantum rei familiaris (ut pretiosissimi temporis jacturam taceam) conciliatur detrimento. Haudquaquam igitur absurdum erit dicere, eos, quorum facultates canibus, equis, venatorijs servis alendis, exhaustæ sunt, à proprijs canibus devoratos esse. Perstrinxit hos recentior Lyricus, P. Jacobus Balde lib. 1. Silvar.

Ista tamen magno, nisi fallimur, orgia constant

Oblita quo pretio,

Quantum metalli prodigunt?

Argentum ferro, plumbo consumitur aurum,

Hæc Diomedis erat

Glaucique permutatio.

Quantula res, cunctis animalia cernere nota,

Ut jaculante manu

Confixa, cervi palpitent?

Tantum oculo debes, ut tota pascere silva

Sumptibus immodicis

Cogaris hunc Apicium?

Heu cave, ne renoves clamantem Actæona frustra:

Fabula nobilior

Cadmi futurus filio.

II. (b) Non minus aptè ad parasitos, Actæonis canes transferuntur,

L 3

(a) Venationis damna. (b) Parasiti & assentatores.

runtur, damnosum genus hominum; qui eorum, quos adulando confectantur, bona abliguriendo, nutricios comesse suos, jam olim à Plauto dicti sunt. In hos non obscure quadrabit dictum *τρέφε κανας, ως τε φάγαντι*: nutri canes, ut te devorent. Et adagiò *blandiri cauda* dicuntur, qui specie commodi cuiquam adulantur, quod canes faciunt, qui caudâ alludentes cùm cœnam observant; te spectante aliò, devorant edulia, quod Aristophanes meminit. Hujusmodi canes venaticos Verres habebat *Tlepolemum & Hieronem*, Cicerone teste, qui odorabantur & pervestigabant omnia. Si quod erat grande vas, & majus opus inventum, læti auferebant; si minus ejusmodi quippiam venari potuerant: illa quidem certè pro lepisculis capiebantur, patellæ, pateræ, thuribula. Et Pierius lib. 5. adulatorem blandiloquum, & mordacem simul scurram per *Canis* hieraglyphicum ostendit, quorum

Alter in obsequium plus æquo pronus, & alter

Quælibet in quævis opprobria fingere sævus.

Diogenes interrogatus ab Alexandro, ob quæ facta *Canis* nomen vulgò sortitus esset: Quia inquit, dantibus blandior: non dantibus oblatro; malos etiam mordeo. Hoc agunt assentatores, qui lingua lambunt, cauda blandiuntur, ut emendicent escam, *amici ollares*, de quibus illud Græcum: *ζῆ χύτρα, ζῆ φίλια*: *feruet olla, vivit amicitia*. Hòc illi quidem sunt perniciosiores, quò blandiores. De quibus Salomon Proverb. 29. *Homo, qui blandis, fictisque sermonibus loquitur amico suo, rete expandit gressibus ejus*. Nam dum laudat non laudanda, facit ut alter superbiat, & sese stultè efferat, sibi que cornua, velut Actæon, sumat. Confirmat Plutarchus tract. de differentia adulatoris, & amici. Adulator, inquit, trahit, & in laqueum injicit laudando; nec feram moratur, sed ipsum indagine cingit, & plagis implicat venatorem. Et Seneca nat. quæst. lib. 4. in præfat. Nec adulatoribus latus præbeas, artifices enim sunt ad capiendum; *Mibi crede irretieris, si proditori eorum te tradas*. Atque hi maxime cavendi sunt Principibus, qui tot assentatoribus & parasitis ambiuntur, ut possint usurpare illud psalmi. 23. *Circumdederunt me canes multi*, quod Actæoni accidit. Eloquenter de illis Alanus in planctu naturæ: Hi sunt, inquit, Principum laterales, palatini canes, adulationis artifices, fabri laudis, figuli falsitatis: hi sunt, qui magniloquâ commendationis tubâ in divitum auribus insonant: qui ut emungant munera, caput potentis oleo adulationis inungunt: & eos, quibus placent, primùm mente, postea fortunis evertunt. De hisce canibus

bus argutè Philosophus Cynicus, ex quo cum nonnemo aulicæ, liberæ-
que vitæ ac linguæ homo rogaret, *quæ bellua morderet maxime?* ille
responsionem retorfit in quærentem: *ex feris*, inquit, *obrectator*, *ex mi-*
tibus adulator, Laërt.

III. (c) Præterea refertur hæc fabula ad hominum ingratorum
mores representandos, qui omni beneficiorum memoriâ ex animis de-
letâ leviter impelli possunt, ut vel nutricios & eximios benefactores
suos convitijs, noxis atque maleficijs mordicus appetant, non dissimi-
les Actæonis canibus, qui in herum suum invaserunt. Impium sanè
genus hominum, qui pro bonis reddunt mala; cum legamus & leones
& dracones altoribus suis gratiam officij retulisse. Ciceronis dictum est:
Nihil est tam inhumanum, tam immane, tam ferum, quàm commit-
tere, ut beneficio, non dicam, indignus, sed victus esse videare. Jux-
ta Senecam ingratus est, qui beneficium accepisse se negat, quod accep-
pit: ingratus, qui dissimulat: ingratus, qui non reddit: ingratus, qui
oblitus est: ingratus & teterrimus, qui beneficijs maleficia rependit.
Huc convenit lemma: *Quos pavit, pavet.*

IV. (d) Illos quoque notat hoc Actæonis schema, qui in Repub-
lica sibi per factiones potentiam quærent, stipati seditiosorum civium,
latronum & gladiatorum manu, quos illi ceu globos prædatorios, ut
Actæon canes, longo post se trahunt agmine, quibus salutem & inco-
lunitatem suam propè solis credunt; quos tectò, familiâ, mensâ reci-
piunt, secretorum & consiliorum suorum participes, à quibus flante ad-
versæ fortunæ vento, tandem turpiter produntur, vel etiam jugulantur.
De his Alciatus emblem. 25.

Latronum, furumque manus tibi, Scava, per urbem

It comes, & diris cincta cohors gladijs.

Atque ita te mentis generosum, prodige, censes,

Quos tua complures allicit olla malos.

En novus Actæon, qui postquam cornua sumpsit,

In prædam canibus se dedit ipse suis.

V. (e) Curiositatem insuper, præsertim oculorum, Actæonis pœ-
na dedocet; qui quòd incautior aspexerit sine veste Dianam, mox ena-
tis cornibus in cervum, timidum & effeminatum animal abijt. Contingit
hoc ijs, qui lascivis oculis permittunt frenos. Quod de naphta,
sulphureo bitumine Plinius scribit, ei magnam esse cognationem ignium,
qui protinus in ipsam undequaque visam transiliant; hoc quoque de ar-
dentibus

(c) *Ingratus animus.* (d) *Concitatores factionum.* (e) *Curiosus oculorum.*

dentibus oculorum tædis, & igne concupiscentiæ licet affirmare. Tertullianus lib. de cultu fem. ait: *Decor, naturâ suâ, libidinis est invitator.* Plotinus Philosophus *ἔρωτα ἀπὸ τῆς ὁρασιῶς*, amorem ab aspectu seu visu deductum putat; nam plerumque ex eo nascitur. Hoc confirmat Græcorum parœmia: *ἐκ τῆς ὁραῖν γίγνεται τὸ ἐρᾶν*: ex videre fit amare. Idipsum Propertius:

Si nescis, oculi sunt in amore duces,

Et alibi:

Cynthia prima suis miserum me cepit ocellis.

Ita sanè est. Habet enim animus has duas fenestras, quibus ignem admittit, quo ardet & furit. Sensit hoc Damon pastor ille Maronianus, qui hausta per oculos amoris tyrannide, queribundus exclamat:

Ut vidi, ut perij, ut me malus abstulit error! Eclog. 8.

Quod arripuit Ovidius in Medea Jasonis aspectu æstuante.

Ut vidi, ut perij, nec notis ignibus arsi.

Experti sunt hoc innumeri in sacra, profanâque historia, quibus ocini poterat illud Georg. 3.

----- uritque videndo

Femina.

Ita, quod Appianus refert, Cleopatra ussit Antonium, quem *ἐὸν δὲς ὀφθαῖμα* statim visa in amorem impulit. Ita Juditha Holofernem stravit. De Alexandro M. Plutarchus narrat, eum, cum Persis subactis intueretur captivas, formâ, corporisque dignitate excellentes, dixisse, *ὡς εἰσὶν ἀλγυθόνες ὀμμάτων αἱ περσίδες*: quanti oculorum cruciatus sunt hæ Persides. Tertullianus severissimus castimoniæ doctor lib. de veland. virg. In vicem, ait, se eadem oculorum genera desiderant; ejusdem enim libidinis est videri & videre; tam sancti viri est suffundi, si virginem viderit, quam sanctæ virginis, si à viro visa sit. Et meritò; nam teste S. Gregorio 21. moral. c. 2. Intueri non licet, quod non licet concupiscere. Actæon, quia oculis non imperavit, hominem exiit, bestiam induit, à tot malæ mentis libidinibus, quot canibus, discerptus.

V. (e) Pudicitia cura à Diana discenda est, quæ gravissimè tulit, se ab Actæone nudam fuisse conspectam. Hac verecunda ingenuitate etiam gentiles femina excelluerunt. Milesiæ certè virgines ne violentas sibi manus inferre pergerent, deterrita sunt pudore cadaverum, vestibus exutorum. Ingenuis mentibus etiam post fata, diemque ultimum suis

(e) cura pudicitia.

est

est castimonie amor. Unde Polyxena regia virgo dum interficeretur, magnam adhibuisse cautelam ut honeste caderet, ab Homero traditur, Et de Lucretia moriente Ovidius lib. 2. fast.

Tum quoque jam moriens, ne non procumbat honeste,
Respicit: hæc etiam cura cadentis erat.

Vivit, æternumque vivet in hominum memoria, Eleonora Emmanuelis Sosa tristissimo naufragio celebratissimi, conjux, quæ à barbaris piratis capta, & vestibus spoliata, sese arenis tumulavit; quidquid verò supernè corporis extabat, solutis sparsisque crinibus obvelavit, maluitque vitam prius exuere, quàm verecundiam. Maff. lib. 16. hist. Indic. Contrà quàm faciunt multa hujus ætatis femine, quibus pectoris, brachiorum, colli nuditas inter ornamenta pudicitie habetur, cum potius sint prostitute libidinis invitamenta. De quibus Clemens Alex. lib. 3. pædag. c. 11. Nullam partem femine nudari decorum est: neque enim honestum est, corporis pulchritudinem esse hominum aucupium. Et S. Hieronymus ad Demetriadem virg. Illa tibi sit pulchra, illa amabilis, illa habenda inter focias, quæ se nescit esse pudicam, quæ negligit formæ bonum: & procedens ad publicum non pectus, nec colla denudat, nec pallio (aut pectorali) revoluta cervicem aperit; sed quæ celat faciem, & vix uno oculo, qui viæ necessarius est, patente ingreditur. Et epistola 47. Palliolum interdum cadit, ut candidos nudet humeros, & quasi videri noluerit, celat festina, quod volens desiderat.

Castitas & pudicitia ubique vigilat; etiam cum sola est, timet insidias; neque raro contigit, ut inter lavandum quoque sordidaretur. Exemplum est Diana virginibus, quo studio sit propugnandus pudor. De ea Poëta:

----- ut vellet, promptas habuisse sagittas!

Quas habuit, sic hausit aquas, vultumque virilem
Perfudit, sparsitque comas ultricibus undis.

Sic sic est agendum, cum laborat integritas. Generosus furor arma ministret: tela sint ungues, dentes, lingua, clamor, quibus precantium vis arceatur. Audiatur vox illa: *Malo mori, quam fœdari*, quod à muris Armenij intaminata munditia desumptum est, qui sordes adeò aversatur, ut si ostium caveæ limo illinatur, citius mortem perpeffurus sit, quàm se fœdari patiatur. Pier. lib. 13. hierogl. ex Æliano & Plinio. Atque hæc Dianæ severitas in tuenda virginitate meritis est laudibus prosequenda; quam etiam Tiresias vates sensit, qui in venatu sitiens, cum

M

ad

ad fontem bibiturus accessisset, imprudens in eo lavantem Minervam conspexit, & aspectum incautum cecitate luit.

SYMBOLUM XIX.

Narcissus & Hyacinthus pueri in flores vertuntur.

3. *Metam.*

Ethicè.

1. Amor sui. 2. Vanitas formæ. 3. Cognitio sui. 4. Amoris inhonesti finis. 5. Ornamenta pueritiæ.

Narcissum præstanti forma adolescentem fuisse, & cum semet in fonte limido (naturali speculo) intueretur, admiratione & amore suæ pulchritudinis captum, expleri tuendo nequijisse, adeoque contabuisse, & in florem sui nominis abiisse, gens Poëtarum fabulatur. Figmentum ita se habet.

Cepheis amnis & *Liriope*s Nymphæ filius fuit, puer omnium sui temporis longè formosissimus. De hujus futura fortuna cum mater *Tiresiam*, vaticinijs per Bæotiam clarum, consulisset, respondit senex fatidicus: *ad maturam senectutem perventurum, si se ipsum non novisset.* Cujus quamvis ambigui dicti veritatem, eventu certo comprobata docent sequentia. Adolescentiam jam ingressus Narcissus, cum ipsas etiam Nymphas amore sui captas teneret, neque tamen ullius desiderijs se permetteret, denique seipsum nimium amando perdidit. Fortè lassus à venatione ad amœnissimum quendam fontem, loco umbroso & gelido scaturientem accessit inclinatusque ad undas crySTALLINO vitro perlucidas, ut sitim hausto liquore restringeret, aliam sibi accendit, nullis aquarum scatebris sedandam. Contemplatus enim suiipsum in undis quiescentibus formam, efflictim amare coepit, quod vidit. Quis referat, quibus æstibus jactaretur infelix adolescens? quoties mirabatur seipsum, seque pariter accendebat, & à se ardebat! quoties irrita fonti libavit oscula! quoties umbram ipse suam vanis captabat brachijs! à fontano frigore crevit amoris flamma; nec potuit avelli ab illo, quem videbat & deperibat; qui discederet utique, si posset ipse Narcissus recedere! quoties tentavit amplexibus stringere, quem amabat; & tamen ama-